



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxix [i.e. ix]. Proprium est unum aptum prædicari de multis in quale
necessariò.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

lem, sensitivam, rugitivam) sed est tantum principium rugitionis inadæquatè acceptæ, & formaliter secundum ejus differentiam ultimam, quæ est rugitiva; de cætero rugitionis adæquatè spectatæ, nimirum ut est actio vitalis, sensitiva & rugitiva, principium est vivens, sensitivum, rugitivum vel rugibile; adeoque rugibile non dicit sensitivum. Neque valet hæc argumentatio: *Homo formaliter est animal, homo formaliter est rationale: ergo rationale formaliter est animal: cum rationale sumatur in consequente formaliter, qualiter nunquam fuit in antecedente sumptum.*

IX. **PROPRIVM** primo intentionaliter sumptum est id, quod est extra rei essentiam physicam vel metaphysicam, ab illa necessariò tamen per physicam actionem, si physicum, secundum nostrum concipiendi modum, si metaphysicum, oritur: ab eaque distinguitur eodem modo, & illam comitatur, inseparabiliter, intellige, naturaliter, si physicum, etiam divinitus realiter inseparabile, si metaphysicum; ratione tamen separabile, in quantum ab ea per rationem præ-

præscindi potest, non positivè illud negando de essentia. Secundò intentionaliter sumptum, sive prout est quartum prædicabile, est unum aptum inesse & prædicari de multis in quale necessariò: hanc autem denominationem universalis accipit per ordinem ad subjecta mediata, nimirum vel ad individua speciei, si sit proprium specificum, vel ad species, si sit proprium genericum; de his enim solis prædicatur ut superius: de subjectis verò suis immediatis, genere vel specie prædicatur ut convertibile, & æquè latè patens.

X. ACCIDENS sumptum primò intentionaliter, prout comprehendit accidens logicum (quale est illud, quod est extra rei essentiam, & de illa merè contingenter dicitur, sive sit substantia, sive accidens, sive sit positivum, sive sit negativum) & physicum, id est, oppositum substantiæ, & prout distinguitur à proprio quarto modo, benè definitur: *quod adest atque abest* (physicè vel metaphysicè, sive intentionaliter affirmando, vel negando illud de subjecto) *sine subjecti corruptione &c.* physica, vel metaphysica; quædam enim
aeci-